

P. VERGILI MARONIS

usquam iustitiae est et mens sibi conscia recti,
 praemia digna ferant. quae te tam laeta tulerunt 605
 saecula? qui tanti talem genuere parentes?
 in freta dum fluuii current, dum montibus umbrae
 lustrabunt conuexa, polus dum sidera pascet,
 semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
 quae me cumque uocant terrae.' sic fatus amicum 610
 Ilionea petit dextra laeuaque Serestum,
 post alios, fortemque Gyan fortemque Cloanthum.
 Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido,
 casu deinde uiri tanto, et sic ore locuta est:
 'quis te, nate dea, per tanta pericula casus 615
 insequitur? quae uis immanibus applicat oris?
 tune ille Aeneas quem Dardanio Anchisae
 alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
 atque equidem Teucrum memini Sidona venire
 finibus expulsum patriis, noua regna petentem 620
 auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
 uastabat Cyprum et uictor dicione tenebat.
 tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
 Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.
 ipse hostis Teucros insigni laude ferebat 625
 seque ortum antiqua Teucrorum a stirpe uolebat.
 quare agite, o tectis, iuuenes, succedite nostris.
 me quoque per multos similis fortuna labores
 iactatam hac demum uoluit consistere terra;
 non ignara mali miseris succurrere disco.' 630
 sic memorat; simul Aenean in regia ducit
 tecta, simul diuum templis indicit honorem.
 nec minus interea sociis ad litora mittit
 uiginti tauros, magnorum horrentia centum
 terga suum, pinguis centum cum matribus agnos, 635